

1.

Heiligenkreuz, Mon. OCist., Cod. 292, ff. 21v–22v, sermo 11¹

[Sermo primus de sancto Ladislao rege]

(1) (f. 21v) „**Similis factus est leoni in operibus suis**” I Mach. 3, (4). – Conveniens est comparacio leonis ad regem, quia mores regios inter alia animalia proprius exprimit leonis proprietas et natura, ideo de beato rege Ladislao possumus dicere, quod ipse **similis factus fuerit leoni**:

(1.1) Primo, in morum mansuetudine, quia leo, nisi graviter lesus, nescit irasci, ut dicit Ysidorus, et in ipsa ira parcit prostratis.² Talis debet esse mansuetudo principis ad humiles. Unde Claudianus: „Precibus nunquam in placabilis astes. Obvia prosternas prostrataque more leonum despicias, alacres ardent qui frangere thauros, transiliunt predas humiles.”³ Vergilius: „Parcere subiectis et debellare superbos.”⁴ Seneca, *De clemencia*: „Optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut talem se cuilibet faciat, quales vult esse deos sibi. Sed dii placabiles debita potencium non statim fulminibus persecuntur, quanto equius est hominem hominibus prepositum magnanime exercere imperium.”⁵

(1.2) Secundo, in virium fortitudine. Prov. 30, (30): „Leo fortissimus bestiarum”, quod convenit principi, ut sit in bello fortis, quia dicit Homerus: „Duro Mars milite gaudet.”⁶ Iudic. XI, (11): Iephte, qui fuit fortis, factus est princeps populi. I Machab. 3 (recte: 2, 66) „Iudas fortis viribus sit vobis princeps milicie.”

(1.3) Tercio, in membrorum pulchritudine. Unde dicitur de ipso in *Legenda* sua, quod „secundum phisoniam leonis magnas habuit extremitates,”⁷ ubi est enim de corpore, ibi congruit esse honorem dignitatis regie, secundum quod dicitur, quod „species Priami digna est imperio”.⁸ Et Aristoteles dicit in libro *Ethicorum*, quod quando deficiunt felici exteriora bona, perturbant eius felicitatem, ut nobilitas generis et profectus in filiis et pulchritudo forme. Non enim videtur felix turpissimus et deformissimus ens, et qui fuerit vilis et qui fuerit solus absque prole proprio.⁹ Saul electus in regem commendatus est de elegancia persone I Reg. X, (24 et 23): „Videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo, fuit enim alcior omnibus [ab umero]”.¹⁰

(1.4) Quarto, in stipendiorum erogacione. Nam leo liberalis moribus predam suam aliis

Madas Edit, *Sermones de Sancto Ladislao rege Hungariae. Középkori prédkációk Szent László királyról* (Kétnyelvű kiadás). Debrecen 2004. (Agatha XV). – Madas Edit, *Középkori prédkációk Szent László királyról. Sermones de Sancto Ladislao rege Hungariae*. Hajdú István közreműködésével. Horváth Zoltán György, *Középkori falképek Szent László királyról. San Ladislao d'Ungheria nei dipinti murali*. Prokopp Mária és Gondos Béla közreműködésével. Budapest, Romanika Kiadó, 2008.

¹ Heiligenkreuz Cod. 292: sermonarium saec. XIV/1, sermo ipse ca. 1300, originis Hungaricae OP. – (Madas–Horváth 2008, 54–60.)

² Cf. Isidorus, *Etymologiae*, lib. 12, c. 2, 6.

³ Claudianus, *Carmina (De consulatu Stilichonis*, lib. 2), 22, 19–22.

⁴ Vergilius, *Aeneis*, 6, 853.

⁵ Seneca, *De clementia*, 1, 7, 1–2.

⁶ H. Walther, *Lateinische Sprichwörter und Sentenzen des Mittelalters*, Göttingen, 1963. 6826a „Proverbia Homeri”: *Duro mors milite gaudet*. – Ps.-Pindaros: *Mars duro milite gaudet*. (= Walther, Sprichwörter)

⁷ Legenda s. *Ladislai*, Scriptores rerum Hungaricarum, ed. Szentpétery, Emericus. Budapestini, II, 1938, 517, 17–18. (= SRH)

⁸ Boethius (trad.): Porphyrius, *Isagoge*.

⁹ Cf. Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 1, c. 9.

¹⁰ Cf. Legenda s. *Ladislai*, SRH II, 517, 19.

exponit et cibum esternum fastidit, secundum Ambrosium VI *Exaemeron*,¹¹ quia de natura magnanimi est, ut det ubi oportet, quam ut accipiat, ubi non oportet, secundum Aristotelem in *Ethicis*.¹² Hester I (recte: 2, 18): Assuerus „largitus est munera iuxta magnificenciam principalem.” Dicitur eciam in gestis mannorum (!),¹³ quod Constantinus imperator volebat, ut omnes sui essent divites de publico, quam ut ipse divicie tenerentur conluse. Sed de regibus contractis avaricia dicit Stacius: „Quid anguste tantos metuis honores?”¹⁴

(1.5) Quinto, in pavorum cohortacione. *Prov.* 19, (12): „Sicut fremitus leonis” ad bestias „sic et terror regis” scilicet ad bestiales. Ambrosius, VI *Exaemeron*: Leonis voci tantus naturaliter inest terror, ut multa animalia, que per celeritatem possunt evadere, rudenti eius sonitu veluti quadam vi attonita deficiant.¹⁵ Sic princeps debet esse ad malos, quia dictum est Achab regi I[II] *Reg.* XX, (42): „Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius.” Tullius: „Iudex dampnatur, cum nocens absolvitur.”¹⁶ Ideo Iudas Machabeus „turbantes populum suum succedit flammis”, I *Mach.* 3, (5). Sed quorundam principum iudicia sunt similia cassibus aranearum (f. 22r) in quibus si culex ceciderit aut musca, tenebitur innixa, cum autem de forcioribus, textus prorumpit invalidos, secundum Basilium, VI (recte: 4) *Exaemeron*.¹⁷

(1.6) [Sexto], in bonorum occultacione. Ysidorus: Cum ambulant leones, vestigia sua cooperiunt cum cauda sua.¹⁸ Vestigia principis sunt facta sua magnifica, que debet tegere et non iactare pueriliter, quia dictum est: „Minuit iactancia famam”.¹⁹ Et Aristoteles in *Ethicis*: Non est de natura magnanimi, ut narret hominibus de se vel de aliis, non enim suam ad hoc apponit diligenciam, ut se ipsum laudet, neque ut alium vituperet.²⁰

(1.7) VII^o, in verborum dulcedine. *Iudic.* 13 (recte 14, 8): „Favus mellis erat in ore leonis.” Leo est princeps, mel in ore eius est suavitas locucionis, per quam acquirit dilectionem suorum. *Eccli.* VI, (5): „Verbum dulce multiplicat amicos.” Dicit enim Philosophus in principio *Musice*, quod nihil est tam proprium humanitatis, quam remitti dulcibus modis, astringi contrariis.²¹ II *Paral.* X, (7): „Si lenieris hunc populum verbis clementibus, servient tibi omni tempore.” Quod quia non fecit, amisit regnum, quia austeritas fugat homines. Philosophus: „Austeri non sunt diligibiles.”²²

(1.8) Octavo, in finis sui recordacione. (III) *Reg.* 13, (24): „Leo stabat iuxta cadaver.” Cadaver caro data vermbus, significat mortalitatem, quam debet attendere princeps, quia et ipse mortalis est et interdum cicius moritur aliis. *Eccli* X, (11–12): „Omnis potentatus brevis vita. Rex hodie est et cras non est.” Gaufredus in *Poetria*: „Nulla potestas esse morosa potest, quia res fortuna secundas imperat esse breves; brevis est distancia hominis leti et mesti hominis; nox est vicina diei. Ominibus ne crede tuis si tempore parvo illuxere tibi, mox est (recte: sunt) clausura serenum turbida fata diem, ducuntque crepuscula noctem.”²³ Claudianus: „Heu, heu quam brevibus pereunt ingencia causis.”²⁴ Aspicias, ne quis nimium

¹¹ Cf. Ambrosius, *Hexaemeron*, lib. 6, 3, 14. – PL 14, 262.

¹² Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 8, c. 4: „Magnanimi autem est nullo indigere vel vix, ministrare autem prompte.”

¹³ In „*Gesta Romanorum*” non invenitur.

¹⁴ Statius, *Thebais*, 11, 683.

¹⁵ Cf. Ambrosius, *Hexaemeron*, lib. 6, 3, 14. – PL 14, 262.

¹⁶ Walther, *Sprichwörter* 13103.

¹⁷ Cf. Ambrosius, *Hexaemeron*, lib. 4, 4, 18. – PL 14, 209–210.

¹⁸ Cf. Isidorus, *Etymologiae*, lib. 12, c. 2, 5.

¹⁹ Gaufredus, *Poetria*, 302.

²⁰ Cf. Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 4, c. 8.

²¹ Boethius, *De musica*, lib. 1. – PL 63, 1168C.

²² Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 8, 5, 6.

²³ Gaufredus, *Poetria* 357–359, 364–465, 337–339. E. Faral, *Les arts poétiques du XII^e siècle*, Paris, 1924. 208, 207.

²⁴ *Eheu quam brevibus ...:* Claudianus, *Carmina* (*In Rufinum*, lib. 2), 5, 49.

sublata secundis colla gerat.²⁵ Desinat elatis quisquam considere rebus.²⁶ Pulchris stare diu Parcarum lege negatur.”²⁷

(1.9) Nono, in divini iudicii timore. *Reg.* 9. Leones stabant ante thronum Salomonis (cf. III *Reg.* 10, 19). Salomon Christus, thronus eius iudicaria potestas, ante quam stabant principes reddentes rationem sui principatus. Sicut dicitur *Sap.* VI, (2–7): „Audite reges quoniam data est vobis a Deo potestas, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur, quia cum essetis ministri regni illius, non recte iudicatis, horrende et cito apparebit vobis, quoniam exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta pacientur.” *Luc.* 16, (2): „Redde rationem villicacionis tue, iam enim non poteris villicare.”

(1.10) Decimo, in sciencie acquisitione. *Eze.* 41, (19) Facies leonis expressa erat in cherubim. Cherubim interpretatur plenitudo sciencie et significat sapienciam, in qua debet esse facies principis per studium et meditacionem, ut sciat et sapienter regat. Quoniam ut dicit Rabanus 2 *Sapiencie*: „Tunc bene regitur res publica, quando philosophi regnant et reges philosophantur.”²⁸ *Prov.* 1, (5): „Intelligens gubernacula possidebit.” Augustinus, *De civitate Dei* V.: „Illi qui vera pietate prediti bene vivunt, si habent scienciam regendi populos. Nihil est felicius in rebus humanis, quam si Deo miserante habent eciam potestatem.”²⁹ Ad hoc invitant principem

(1.10.1) primo, exempla regum, qui studiosi fuerunt. Legitur in *Historia tripartita* quod Iovianus imperator postulavit Athanasium, ut scriberet sibi (f. 22v) divina dogmata. At ille respondit dicens: decet Deo amabilem principem discendi habere voluntatem, sic enim vere et cor habebis in manu Dei et imperium cum pace gubernabis.³⁰ Legitur eciam in *Historiis Grecorum*, quod „Archelaus rex tantus amator literarum fuit, ut Euripidi tragico rerum summam committeret”,³¹ et ipse libris vacaret. Dicit eciam Ysidorus in libro *Ethimologiarum*, quod Ptolomeus, rex Egypti omnis literature sagacissimus, gencium scripturas eciam divinas in suam convertit bibliothecam, cuius tempore inventa sunt Alexandrie LXX milia librorum.³²

(1.10.2) Secundo, dicta scripturarum. *Deut.* XVII, (18–19): „Postquam sederit in solio suo, accipiet legem a sacerdotibus legetque omnibus diebus vite sue”. *Sap.* 6, (22): „Diligite sapienciam” qui preestis populis, „ut in perpetuum regnetis.” *Ps.* (2, 10): „Nunc reges intelligite.”

(1.10.3) Tercio, necessitas et exigencia ipsius regiminis, ut scilicet qui preest populis, sit eruditus corde in sapiencia, quia „rex sapiens populi stabilimentum est” (*Sap.* 6, 26). Et hoc

(1.10.3.1) primo, in iudicio faciendo. Unde Salomon petivit sapienciam ad discernendum, quod Deo placuit, et laudavit et addidit ei divicias et gloriam *Reg.* III. (cf. III *Reg.* 3, 6–13). *Proverb.* 29, (14): „Rex, qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius” etc.

(1.10.3.2) Secundo, in prelio committendo, quoniam milicia sine sciencia esse non potest, ad quod designandum Mars et Phebus fratres dicti sunt, quorum unus fuit deus belli, alter sapienie. *Proverb.* 24, (5–6): „Vir sapiens est fortis et vir doctus robustus et validus, quia cum dispositione initur ad bellum, et ibi salus, ubi multa consilia.” Sallustius in *Cathilinario*: „Magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris procederet, sed utrumque per se indigens alterum alterius auxilio eget.”³³ Sed interdum sapiencia plus potest in milicia. *Sap.* VI, (1): „Melior est sapiencia quam vires et vir prudens magis quam fortis.” Sallustius in predicto libro: „Periculo atque negotiis compertum est in bello plurimum

²⁵ *Aspiciat quis ...:* Claudianus, *Carmina* (*In Rufinum*, lib. 2), 5, 446–447.

²⁶ *Desinat ...:* Claudianus, *Carmina* (*In Rufinum*, lib. 2), 5, 440.

²⁷ *Pulchris ...:* Claudianus, *Carmina minora*, 11, 1.

²⁸ Hrabanus Maurus, *Commentaria in librum Sapientiae*, lib. 2, c. 1. – PL 109, 695C.

²⁹ Augustinus, *De civitate Dei*, lib. 5, c. 19.

³⁰ Cassiodorus, *Historia tripartita*, lib. 7, 3, 14–7. – CSEL 71, 348.

³¹ Solinus, *De mirabilibus mundi*, c. 9.

³² Isidorus, *Etymologiae*, lib. 6, c. 3.

³³ Sallustius, *Bellum Catilinae*, 1, 5–7.

ingenium posse.”³⁴ Ovidius: „Fortisque viri tulit arma disertus.”³⁵
(1.10.3.3) Tercio, in se regendo. II *Thim.* 3, (16): „Omnis sciptura divinitus inspirata utilis est ad erudiendum in iusticia”, id est, ut iuste se regat, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum paratus. Beda, *Proverb.* I: „Qui sapientium verba negligit audire, vitam suam et magis aliorum gubernare non novit.”³⁶ Rogemus.

³⁴ Ibid. 2, 2.

³⁵ Ovidius, *Metamorphoses*, 13, 383.

³⁶ Cf. Beda Venerabilis, *In Proverbia Salomonis libri*, lib. 1, c. 1. – CCSL 119B.